Q. D. B. V.

# THESES JURIDICAS
DE
# LEGITIMA-TIONE

PRÆSIDE

*VIRO Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo atque Excellentiſſimo*

## DN. JOHANNE HENRICO FELTZIO,

J. U. D. Pandect. & Jur. Can. Prof. Publ. Ord. Celeberrimo

p. t. FACULTATIS JURIDICÆ DECANO

*Ad Diem 24. Menſ. Julii ANNO M. DCC XVI.*

Solenni diſquiſitióni ſiſtet

JOANNES BARTHOLOMÆUS HUGUIN, Tabernenſis.

*ARGENTORATI* Literis JOANNIS WELPERI.

Conte di Cama...

Digitized by Google

VIRO
*NOBILISSIMO AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO*
DOMINO
# JO. JOSEPHO FRIESIO
IN SUMMO, QUOD IN ALSATIA EST
CONSILIO REGIO ADVOCATO
DEXTERRIMO
*Avunculo ſuo honoratiſſimo*
Theſes haſce præliminares
in ſignum
Obſervantiæ ſuæ
*dat, dicat, dedicat,*
JOANNES BARTHOLOMÆUS
HUGUIN, Tabernenſis.

# De Legitimatione.

*Theſis* I.

MAximum & pro parentibus & pro liberis illegitimis ſolatium eſt Legitimatio, quæ eſt actus, quo filii illegitimi fiunt legitimi.

*Theſis* II.

Fiunt Legitimi non revera, ſed per fictionem juris, id eſt, eis attribuuntur jura, quæ competunt veris Legitimè natis filiis.

*Theſis* III.

NequeLex autPrinceps, dum fingit, illegitimos eſſe Legitimos, mentitur, aut

falſum dicit; ſed vult tantummodò, ut is, qui ex legitimo thoro procreatus eſt, habeat ea jura, quæ legitimus, & per conſequens quoad effectus civiles, pro tali habeatur.

*Theſis* IV.

Triplex olim fuit Legitimatio; 1. Per oblationem curiæ, qui modus hodiè exolevit. 2. Per ſubſequens matrimonium. 3. Per Reſcriptum Principis.

*Theſis* V.

Legitimatio per oblationem curiæ fieri dicebatur, ſi ſpurius ſervitia ſua Curiæ (in qua officia ob concomitantem moleſtiam & paucitatem commodi à nemine ferè affectabantur) obtulit; tunc enim hâc ſervitiorum oblatione legitimabatur.

*Theſis* VI.

Legitimatio per ſubſequens matrimonium eſt, quæ fit per nuptias cum concubinâ, ex quâ Pater jam prolem ſuſcepit, poſteà contractas.

*Theſis*

*Theſis* VII.

Hi Legitimati per omnia æquiparantur Legitimè Natis.

*Theſis* VIII.

Non tantum n. conſequuntur jus legitimorum natalium, ſed & jus ſuccedendi cum Liberis anteà Legitimè natis.

*Theſis* IX.

Hæc Legitimatio tribuit etiam jus Primogenituræ, niſi pacto, aut Lege, aut Conſuetudine aliud introductum.

*Theſis* X.

Quærunt etiam, an Legitimati per ſubſequens matrimonium ſuccedant in feudis? De Conſuetudine Longob. Nego; de Jure Communi Affirmo.

*Theſis* XI.

Quod autem de Conſuetudine Lonbardicâ hanc quæſtionem negem, moveor generalitate textûs 2. *feud.* 26. §. *Naturales.*

*Theſis* XII.

Majori jure excludenturLegitimati per Reſcriptum Principis.

### *Theſis* XIII.

Eſt autem Legitimatio per Reſcriptum Principis actus, quo Princeps filios illegitimos legitimos eſſe declarat.

### *Theſis* XIV.

Declaratio hæc fit aut per ipſum Principem aut per Comites Palatinos.

### *Theſis* XV.

Sunt autem Comites Palatini certæ perſonæ, quibus Imperator aut Rex facultatem ſpurios legitimandi, Doctores aut Notarios creandi, aliaque ſimilia jura conceſſit.

### *Theſis* XVI.

Taliter Legitimati, quâ tales, acquirunt, quidem jura Legitimorum Natalium, ſed circa ſucceſſionem diſtinguendum eſt.

### *Theſis* XVII.

Aut enim ſunt legitimati, antequam liberi legitimi naſcerentur, & ſic illi cum ſuccedunt Patri.

### *Theſis* XVIII.

Aut ſunt Legitimati poſt nativitatem legiti-

Digitized by Google

legitimorum liberorum & tunc rurſus eſt ſubdiſtinguendum.

*Theſis* XIX.

Si enim Princeps in Litteris Legitimationis de jure ſuccedendi locutus eſt,tunc ſuccedent.

*Theſis* XX.

Si verò nullam de ſucceſſione mentionem injecit, non ſuccedent.

*Theſis* XXI.

Ita tamen in priori caſu ſuccedent, ne legitimæ liberorum legitimorum præjudicium creetur.

*Theſis* XXII.

Niſi & circa hunc caſum in Litteris Legitimati proſpectum.

*Theſis* XXIII.

Nec obſtat, quod Princeps jus quæſitum adimere non poſſit.

*Theſis* XXIV.

Quia reſpondetur, in hoc caſu nullum adhuc jus liberis eſſe acquiſitum.

*Theſis*

Digitized by Google

*Theſis* XXV.

Uti enim viventis non eſt hæreditas, ita nec legitima.

*Theſis* XXVI.

Non tantum filii naturales, ſed & ſpurii per Reſcriptum Principis legitimari poſſunt.

*Theſis* XXVII.

De Natis ex damnato coitu majus occurrit dubium. Verùm, cum impedimentum tantum civile ſit, & favor liberorum, qui nihil peccarunt, pro iis militet, quin illud per Principem tolli poſſit, nullus dubito.

*FINIS.*

VA1 1520886